QVAESTIONES QVATVOR CARDINALES,

PRO SVPREMA

APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA PROPOSITÆ
AB ILLVSTRISSIMIS PROFESSORIBVS ET CONSILIARIIS
Regiis D. D. Francisco Ranchino Monspeliensis Vniuersitatis
Cancellario amplissimo.

E T

*D. D. SIMEONE CVRTAVDO EIVSDEM VNIVERSITATIS
Decano reuerendo.*

HIS ACCESSERVNT ASSERTIONES, PROBLEMATA,
Paradoxa : quorum omnium veritatem (auspice Deo) per triduum
integrum publice tuitus est Abel Brunyer Parisinus Artium
Magister, & Medicinæ licentiatus.

*DISPVTANTIBVS SINGVLIS PROFESSORIBVS,
Doctoribus aggregatis, Doctoribus, Licentiatis, Baccalaureis, &
studiosis in augustissimo Monspeliensi Apollinis fano.*

MONSPELII.
Apud Ioannem Pech Typographum Regium & Vrbis.

M. DC. XLI.



SERENISSIMO PRINCIPI
I. B. GASTONI
VNICO REGIS CHRISTIANISSIMI FRATRI
AVRELIANENSIVM DVCI.

NON *deerunt fortaſſe* (PRINCIPVM SERENISSIME) *qui ſcholaſticis medicíſque veliationibus iſtis quemuis potiùs, quàm te auſpicem, capiendum fuiſſe ſentiant ac parum pudentis hominis eſſe, magnarum rerum adminiſtratione, atque ingentibus curis implicato Principi, priuatis ac ludicris hiſce ſtudiis obſtrepere: Sed hoc, & huiuſmodi cætera ſolum illum moueant qui te, ac diuinam ingenii tui vim nequaquam perſpectam habeat, quæ eſt eiuſmodi vt non ita totam ſibi maximarum rerum procuratio vindicet, vt non eodem tempore vel minimarum ad vſum ſeſe tractationémque demittat. Tritum illud eſt doctorum omnium ſermonibus, magnos vos Principes ad imaginem Dei ac ſimilitudinem propius expreſſos quàm mortales cæteros viuere: hoc ipſum verò non alia magis in re, quàm in ea de qua agitur vſu venire confirmo: vt enim Deus ſic in mundi, rerumque magnarum gubernatione ita intentus eſt, nullam vt propter vilitatem, exiguitatémque prætereat, ſed pari prouidentia moderetur vniuerſa, ita vos Principes in omnibus perinde hoc quod vos appellamus, & Principes ſemper eſtis, & Maximi. De te hoc quidem non aſſentandi animo, non coniectandi quadam dulcedine profiteri poſſum, his etiam in artibus, ac notitiis quæ vulgi iudicio perparuæ, & otioſæ habentur, ſic excellere vt eos facilè vincas, qui hoc vnum in vita negotium ſibi ſumpſerunt: Ecquis eſt enim te hodie (cætera vt omittam) numiſmatum antiquorum peritiâ, diſcernendi ſolertiâ præſtantior? Quis quod eſt conſequens veteris omnis memoriæ, ac hiſtoriæ conſultior? atque vt mei quod inſtituti eſt ac temporis perſtringam, conſtat in vſu ſtirpium, & herbarum ac ſcientia, (quo in genere præcipua eius quam profiteor diſciplinæ cura vertitur) neminem te non dico ſuperiorem, ſed vel tibi hac ætate comparandum eſſe: cùm his ergo ſis, & ea proſequare ſtudia, imò etiam glorianda putes, vnde ſpecimen hoc deductum eſt quod Regiæ tuæ Celſitudini dicare ſum auſus minùs verendum arbitror, ne quis cur ita fecerim rationem poſcere velit, quàm ſi aliter inſtituiſſem accuſare probróque vertere, ſi me præſertim nouerit, atque eo parente natum in quo tibi non mea tantùm omnia, ſed me ipſum iampridem oppigneratum, & obſtrictum eſſe meminerit, cuius cùm te fidei, valetudinémque tuam tot iam annos commiſeris, neque purgare conſilium hoc meum factumque debeo, neque quò minùs id æqui-bonique conſulas de tuo iudicio aut voluntate diffidere.*

Regiæ tuæ Celſitudinis vſui, & mancipio
omnium addictiſſimus ABEL BRVNYER.

QVÆSTIO PRIMA CARDINALIS.

6.° An Medico cognitio plantarum sit absolutè necessaria.

SVBLIMIS quidem est, sed quàm vana, ita vesana in rimandis syderum viribus Astrologorum contentio: sensus enim etsi specillis, tanquam stimulis potiùs quàm adminiculis intendatur, non aliter acuitur, aut attollitur, quàm vt toto cælo aberret, quærat, & non inueniat, animi auiditatem diffundat, non impleat: Astrorum enim quos vocant influxus molis omnis colorisque expertes, sunt hæc splendida munera quæ cæli his inferioribus vicevectigalis exoluunt, dum destinato ordine progredientes lucem & radios, vt motu, calorem, diuersoque syderum situ & aspectu, lumen variè reflexum aut refractum offerunt, nimirum vt sint rerum omnium fœcunda semina, quocunque ἀόρατα, nisi circa tellurem vbi tanquam ex vtero in viuentium omne genus pullulant. Ad terram ergo totius machinæ omnisque lineæ centrum oculorum conuertenda acies: ibi enim conspicua sese præbent miracula: inibi cælorum dotes formam qua nobis appareant induunt, cùm è luto cui immiscentur multa quidem animalia, sed innumeras plantas suscitant, vnde nihil inuestigatione dignius cœlesti illo spiritu stirpibus insito quo viuunt, germinant, nutriuntur, crescunt, & generant: hincque planta non ineptè dicitur animatum illud cui sola anima vegetans inest, cuius minima species herba è radice statim sua folia fundit, & sine trunco caulem semini ferendo promit: hæc eadem mirabilis genii solertia arborem alteram speciem ex semine vt plurimum tenui crassum, solidumque, & vnicum firmissimum truncum nectit, cui surculorum numerosam prosapiam, ramorumque proceritatem annectit, quemadmodum ex parciori, & ob lentorem minus sequaci materiâ cremium ab arbore solo paruitatis discrimine diuersum elicit: fruticem similiter caudice multiplici quo pluribus forte propagationis munimentis insistat, exprimit, quibus tubera fungosque tanquam plantarum genus quintum addidit. Ea verò in singulis partibus exarandis ordinis prudentia micat, vt primò radicem in totius basim, vt in alimenti penu defigat, caulem dein supra terram elatum ad securiorem eiusdem anadosim condat, moxque folia vt ad ornatum, ita ad stipitis, florumque præcipue, & fructus tutelam circumtendat, in quorum subsidium rami multis stipati surculis succenturiantur, vt tenuior inde succus, & syncerior in flores assurgat idemque mox exuperans in fructum, aut semen totius plantę compendium perficiatur: his etiam partibus famulaturæ aliæ iugantur, quę vel ob simplicem compositionem, aut in animalibus factam comparationem similares nuncupari solent, quarum communes sunt vndique diuisibilis caro, cui illicò sociatur membrana, teres illud tegumentum quo stirps omnis obuoluitur, subsequitur neruus non tam ad motum quàm ad firmam quietem destinatus, harum denique numero adscribitur vena quæ in longum, & cauum expor-

recta, semelque tusa varii coloris succum, aut lachrymas effundit: os vero in cerasis, prunis, malis persicis, & cartilago in pomis & pyris in medio semina obtegens, partes similares propriæ appellantur. Earum præterea partium, textura ita eximia, & communis est, vt ne minimum sit folium quod carne, neruo & membrana non constet. Cortex ex carne, & neruo coalescit, radix, & caulis his omnibus, & medulla tanquam corde pro suo apparatu gaudent. Florum partes externæ sunt calyx, & petiolus, hic ex membranis vt plurimùm coagmentatus fructum, & florem cauli, aut ramo alligat, ille verò nihil aliud est quàm ex foliis florum figura crateris expressa, in cuius fundo pars interior dicta vmbilicus è centro stylum, vt stamina circumposita quæ sunt veluti capillamenta ob insitos apices in summitate prominentia promit. Fructui ex carne, & semine conflato περικάρπια vario artificio specie tria, aut duo, aut vnicũ, nequaquam verò quatuor succrescunt. Sed quàm elegans, & ingeniosus est ille penicillus qui tot colores tinctorum omni imitatione superiores plantis depingendis inseruit: quemadmodum enim herbam moschatam, caryophyllos, gelseminum, rosam ad olfactus illecebras, ita in magnatum obsequium ad oculorum delicias anemones, & tulipas tam varia, tantáque venustate commendauit, vt pauci non sint floricolæ qui Ægyptiorum more bulbos suos tanquam Deos non colant. Hæc verò cùm ad voluptatem spargantur, ita ad Philosophiam excitandam, & Medicinam perficiendam passim occurrunt: Natura enim dum omnia ad hominis salutem excogitauit, ne quid præterea in toto stirpium genere irritum foret ne minimum flocum patitur, è quo pharmacia medicamenta sua, aut diæta alimenta non eruat: quod vt securiùs absolueret sublimes vt plurimum auscultationes, tanquam faces illustrandis Medicinæ consiliis prætendit: Si qui enim flores aperto calice noctu solum hiescant, aut oleant, hæc vt succi paucitatem, vel tenuitatem calore solis, & aëris statim euanidam arguunt, ita pro morbis ab humorum copiâ, & crassitie indicationem remedii ostentant: Simili industriâ contemplanda venit æschynomene quam plantam sensitiuam vocant, quæ leuiter attacta manifestè recedit, succo namque tenuissimo quo pollet ad leuem motitationem excusso in seipsam subsidendo contrahitur, eoque sensim restituto pristinæ amplitudini redditur. Nec minùs mira est illa officina quæ stirpes tam variè versat: aliæ enim in situm repentem detorsæ perpetuò iacent, dum aliæ à suis etiam primordiis extolluntur, aut in amplexus ruunt, quodque adhuc fortè occultum est à sinistris ad dextra vno lupulo excepto contorquentur. Quamuis verò multa ad ludum, plura adhuc ad vsum nobis natura porrigit: ex his siquidem vestes texendas ad nuditatis, nauigationisque opus, lignum in ædium, altarium, & classium fabricam, ignisque quo solus vtitur homo, tanquam veri Vulcani fulcimentum præbuit: nec his quidem contenta quæ inertem materiam sapiunt, vires etiam elementorum sagax illa domina ea arte annexuit, vt qualitatum miscellam, variámque temperiem morborum amplitudini adæquauerit, secundas denique, & tertias qualitates è primis eductas retinuit, vt quidquid in his abstrusum est hominem totum, hoc est philosophum, & medicum plantis à quibus omnia mutuatur ad morbi sanitatisque opus integrum applicaret:

Nec quidem desultoriâ velitatione venena à remediis, vt alimenta ab his distinguntur: vix enim licet tam celebrem disciplinam ludo, aut casu astruere, quæ artis procerum, maiorúmque obseruationibus pro humana salute inuenta, & exculta fuit. Quod si cum plantis omnis nostra spes pullulet, quàm acerbum est ingrati animi vitium bonorum authores ignorando contemnere. Similis est eorum hominum audacia qui è mineralibus auxilia emendicant: hæc enim empyreumate suo, principiorúmque malignitate, & vitâ omni destituta nec ad alimoniam, nec ad medelam sunt. Si quæ insuper ab animalibus petantur in plantas quibus vescuntur semper refundenda. Quis ergo medicus nisi fortè iners, laboris impatiens, disciplinæ incapax, vitæ suæ, & alienæ incuriosus, & nomine quod ambit indignus stirpium scientiæ sensus omnes suos non deuoueat: hæc enim vt ardua, spinisque multis obsita, ita viro forti digna, ita ad vitam vtilis, ita honorifica, si de ea bene meritus Salomon sapientissimi hominum titulos meruerit.

Ergo cognitio plantarum medico absolutè necessaria.

QVÆSTIO SECVNDA
CARDINALIS.



7.° *An Podagra etiam inueterata curabilis.*

AD ingenioſum inſignémque corporis apparatum ſtupet animus, & cuiuſque particulæ pro mœrendo principatu dimicantis litem & dignitatem demiratur. Primas enim oculus ob ſplendidam fabricam, & ex tunicarum numero, figura, rotatione, lucéque cœlorum æmulus ſibi præſumit, cor ἀκίνητον, tanquam vitæ, caloris, ſanguiniſque vberrima ſcaturigo vſurpat. Cerebrum ſenſu, & motu, & ſitu elatum, ita ambitu ſuperius. Manus quod altius adhuc aſſurgant pro vitæ muneribus externis implendis inter organa laudem & tyrannidem affectant. Sed vt quibuſque ſua relinquantur ἐγκώμια, quod naui carina, ædibus fundamentum, id partibus, totique corpori pedes ſunt. Ad quid enim cordis ſubſultus, & affectus, phantaſiæ conceptus, manuum ad operandum alacris obſeruantia? Ad quid immenſa locorum ſpatia quæ vnico obtutu luſtrat oculus? niſi metiendis, & obſecundandis tot deſideriis pedes opitulentur. Fatetur ſiquidem gratitudo noſtra hominem vt vitæ, ſocietatiſque munia obire, ita à pronis in terram animalibus, ſerpentibus, repentibuſque lumbricis in aliam ſpeciem pedibus abire. At cùm grauiſſimum ſit à iucundo ſanitatis negotio, in acerbum morbi negotium deuolui, iure quidem meritò podagra inter grauiſſimos affectus numeranda: eſt enim illa ſpecies arthritidis quæ pedes eo modo infeſtat, vt motui impedimentum, & ſenſui dolorem inferat, tumoremque, & ruborem aliquando ſubnectat: quæ omnia fluxio humorum, vel congeſtio circa articulos certis interuallis repetit. Sed præcipue ſeroſa colluuies mordax, & eroſione pollens quæ acrimoniâ & λεπτομερείᾳ tanquam ſtimulis impulſa in podragram prompta eſt, cuius eruptione etſi ſtatim exundet articulus nemini mirum ſit ſi humore ferino imbutus neruus conuulſione non quatiatur: quemadmodum enim lepus marinus in pulmonem, cantharides in veſicam collimant, ita hæc ichoroſa ſaburra certo acritudinis gradu, aut aliæ malignitatis affectatione ſolis membranis infeſta eſt. Chymici qui nil noui niſi nomina inuenêre hanc humoris ſpeciem tartarum, & ſpiritum ſalinum nuncupant, quem principiorum inſitâ vi illicò fermentari, feruoréque veluti quodam per maiora vaſa variè impulſum aliquandiu verſari aſſerunt, donec in minora recondatur, tandemque in articulos per arterias, venaſque capillares decumbat: huius vero cacochymiæ fons hepar eſt calidius ichoribus generandis aptum, vel etiam ventriculus qui ex intemperie miſcendis, & concoquendis alimentis impar prauorum eduliorum acrimoniam malè coercitam quam aliquandiu tardauerat, lieni tandem exponit: hic enim hiante vaſe breui (quod vocant) acribus, ſeroſiſque humoribus ita gaudet, vt etſi grauatus, à tali prolectatione non deſinat: in hunc ergo tanquam promptuarium quoddam irrepit acerbus ille podagræ parens, qui dum eſt ἀνάῤῥοπος,

vt

vt cerebro tetræ anathymiasis appulsu, molestiam terrorem, & spirituum perturbationem inuehit, ita dum est κατάῤῥοπος in arteriæ cœliacæ, venæque propagines per lienem ad eius obsequium dissseminatas semel conuersus articulorumq; membranis acriter defixus in podagram firmatur, cui præterea Venus, & Bachus æqualiter fauent, illa quod neruis non modo sit inuisa, sed quod spiritus profusè nimis absumat, hic quod neruos, membranásque frangat, fomitemque, & robur morbo suppeditet. Vt vero labor modicus articulorum firmitudini est, ita exuperans è situ suo articulos non modo deturbat, & ex laxitate distillationi pronos substernit, sed calore, doloréque fluxionum magnetibus quos induxit in loco præsertim decliui arthritidem suscitat. Inter anni tempestates ob humores fusos ver articularis morbi quàm feracissimum, ita Autumnus caloris variâ, & inæquali vicissitudine spirituum, articulorùmque vim omnem infringendo imbecillitatem articulo parit, quam etiam inter causas præcipuas recensere debemus, præsertim quæ semine parentum sata est, cuius vitium non raro illibatis parentibus ad nepotes, inferiorémque sobolem transfertur. Podagram verò ingruere præsagiunt tumor venarum circa pedes, & lassitudo spontanea, præsertim circa tempora recurrentis paroxysmi: hæc autem quamuis vt opprobrium, & crux medicorum obijci soleat, industriâ tamen medicâ emendabilis comperitur: non enim aliter remediis contumax est quam ægrorum medicinæ legibus non obtemperantium impatientiâ: aduentans enim quilibet, veluti medicus misericors, blanditurus potiùs quàm solaturus remedia consulit, quæ vt noua aliis iam admotis, doloremque non statim remouentibus præferuntur, vnde intempestiuo remediorum vsu aut commouetur fluxio, aut incuneatus humor vires articuli residuas suffocat. Quamquam vero in senibus ex occasione facilis viæ ad articulos senio morbóque languidos difficilis sit medela, in adolescentibus tamen, aliisque robustioribus dominatu caloris natiui, medicinæque auxiliis nequaquam ἀνίατος creditur: victu enim prauo in laudabilem mutato, substractâ omni generandæ tali saburræ ansâ, roboratis visceribus intimis, firmatisque articulis ne amplius fluxionum sint mancipia, in priorem statum erigi nemo sanæ mentis inficietur qui norit quàm necessaria sit ex ætatis decursu temperamenti immutatio: quemadmodum enim iuuenibus quibus aluus ex siccitate pigrescit paucis abhinc decursis annis ὑγραίνεται, & vice versa, ita procul dubio ex iuuentutis igneo temperamento ichωres acres & mordaces cumulati, ætatis temperatioris progressu mitigati omnem arthritidi occasionem eripiunt. Si ergo ætas demulcendæ arthritidis causæ, si purgatio eliminandæ sit æqualis, & si phlebotomia initio veris multos arthriticos ex Galeno curet, vel si fluxio ad adenes, & pulmonem cæteris partibus imbecilliores in alium tramitem deuehatur, si ossa fracta callo tanquam firmiori nexu coalescant, si denique luxatus articulus, & à sede sua penitus deiectus restituatur, quidni idem tenui humore madescens calore, aut frigore, intemperatus, ac imbecillis obfirmari, & pristinæ sanitati reddi non poterit.



Ergo podagra etiam inueterata curabilis.

QVÆSTIO TERTIA CARDINALIS.

8° An medico chirurgi munus ambire indecorum.

EX refragantibus in muſica tonis harmonia, ex qualitatibus contrariis concentus, ex imperio & obſequio rerum omnium decorus ordo reſultat : quemadmodùm enim nonnulla ad dominium extulit natura, ita vt mundi fatum necteret ad ſeruitutem alia mancipauit. Inter elementa aqua & terra molis pondere, formarúmque ignauiâ orbis penetralia occupant. Aër, & ignis leuitatis impulſu ad ſuperas euolant auras. Cœlis ſeriatim annexis, & ſuperioribus primum mobile ſitu & motu ſupereminet. Nec aliter ego interpretor imaginem illam diuinam luto in hominem effigiato impreſſam quàm illuſtrem dignitatem quæ authoritate deriuata ius eſt ſummum, & legitimum imperandi : ſtatim enim editus homo terræ dominus eſt, móxque ad imperij inſignia, aut amplitudinem vxorem ſociam, & ſubditam nanciſcitur, quæ ſocietas in aliam rurſus emerſa filios admittit, ſubmittitque, & denique ne quid ſit quod non eſſet inferius, homo homine ſuperior euaſit. Hinc ſeruus hero adſtringitur, & vt ad commune bonum vtrique per artes innumeras vitam decurrere decuit, ita ſimilis ſubordinationis nexu ſibi inuicem ſubdita eſſe hæc eadem ſalutis præſidia libuit. Hinc architechtonicis quamplurimæ artes famulantur, τῇ ἱππικῇ χαλινοποιητική vt medicinæ chirurgia, & pharmacia ſubſeruiunt. Nec vllum eſt periculum quod ſortis noſtrę imbeeillitatem magis conturbet, quàm cum ad ea aſſurgimus quæ ſupra nos ſunt, nec quid magis indecorum quàm cum ad ea deuoluimur quæ dignitati repugnant. At cum ars omnis è rudibus multoties emendandis obſeruationibus emergat, ſola medicina è cœlis ad clarius imperium demiſſa eſt : huic ſoli tot delubris in eius cultum extructis publicos honores decreuerat antiquitas, vt ad veram dignitatis commendationem ex neceſſitate venerandam altiſſimus de cœlo creauit, quam ſi quis inferioribus negotiis immiſceat æque in vitæ conditionem peccat, ac ſi leuia deorſum cogere velit. Etenim quid magis temerarium quàm dignum illud medicinæ dominium infringere, cui non modo pharmacopæi, & chirurgi tanquam vulgares famuli, ſed quodlibet hominum genus ſubiacent : ſublimis ſiquidem, & imperioſa eſt ea poteſtas quæ omnibus & vbique leges ſuas impoſitura Reges ipſos arti ſuæ ſubditos adſtringit. An ergo è palatiis imperantem archiatrum ad tabernam chirurgicam detrudi, vilibuſque miniſteriis immerſum tyronum perſonam induere decet ? mox ex frequenti trichotomia minutatim corrogatis obolis craſſeſcere, aut miſeris quibuſque languentibus meditato ſermone, geſtuq; compoſito adulari, ſeruili comitate pus obſcœnum detergēdo fœdam haurire mephitim, horrenda vlcera lambere, faſcijſque obuoluta tanquam quid pretioſum recondere, denique in vlterioris experientiæ monimentum, & lucrum è proſtibulorū

ſanie madentibus, aut omni lue infectis loculis turpem exigere nummum? An inquam cœleſtem artem, regiam comitem vbique imperatricem ita deprimi, & fœdari decet? Scitè igitur naturali lege, & quotidiano vſu ſancitum eſt quælibet limitibus ſuis ita circumſcribi vt ſine ἀταξία & dedecore ne latum vnguem (vt aiunt) recedant. Quod ſi domino repugnet ſerui vicem implere, iudici carnificinam facere, ita medico chirurgiam affectare indignum eſt; Quantum enim mens corpori præſtat tantùm eius opera illius operis antecellere quis dubitat? An ergo vicem eorum doleam, aut mirer neſcio, qui præclaras animi dotes è toga ad pallium deuoluti manibus non tam adiiciunt quàm ſubijciunt. Digna profecto monſtra queis Briareus ἑκατόγχειρ imperet! Ferendi ſunt, etſi deferendi proci Penelopes faſtidio ad ancillas conuerſi, ſed viros ἰατρικοὺς à medicis quarum compotes ſunt notionibus abire, & chirurgi munus ambire ſi quis ſuſtineret Herculis colui fuſum ſuggereret. Verùm celeberrimos illos Machaones, & Podalyrios manus, non animus commendauit. Hæc fuit priſcorum æuorum calamitas, non fœlicitas, probrum, non decus, apud quos, pictores decuit tabellæ ſpeciei nomen, quod nunc dedeceret, apponere. Illis pinguis, nobis ſubtiliſſima eſt Minerua. Temporis rerum edacis lima multa vt attriuit, ita expoliuit. Faceſſat ergo turbatus ordo quo hera ancillæ famulatur, cuique auccentare licet Io Saturnalia.

Ergo medico chirurgi munus ambire indecorum.



QVÆSTIO QVARTA CARDINALIS.

9.° *An indiſcriminatim in omnibus morbis phlebotomiæ vſus veræ medendi methodo aduerſetur.*

ARTIS medicæ limen aſperum, & niſi multo ſudore lubricum, iter anfractuoſum, & niſi Ariadnes fili ductu percurrendum. Nauis ventorum arbitrio ſine clauo commiſſa ſcopulos, nuſquam ſcopos ferit, ita ſine methodo medicina pro effugio naufragium, pro documentis nocumenta ſectatur. Hoc enim in iſto morborum oceano nauigantibus ſydus fœliciſſimum affulget, hæc fax ſecuriſſima ſalutis portum, affectuſque omnis latebras illuſtrat: Eſt namque illa diſciplina quæ per indicationes ſanitatis conſeruandæ, aut recuperandæ auxilia inueſtigat, hacque niſi dirigantur remedia Orci ſunt potiùs quàm θεῶν χεῖρες: hæc verò duo præcipua ſunt, purgatio humorum qualitati deſtinata, & phlebotomia ſanguinis quantitati minuendæ nuncupata quæ eius eſt momenti, vt in genus humanum ius habeat vitæ & necis: Εὐεξίαν vtrámque plethωram dum ſoluit affectus innumeros anteuertit; inflammationem fuſis ſanguinis cataractis ad lipothymiam vſque fœliciter extinguit. Nec propterea indiſcriminatim vſurpanda venit: quamuis enim irruenti rheumati obſtet, quid conſiſtenti confert? niſi vt partem debilem magis infirmet, indéque nouæ fluxioni anſam præbeat, & in morbis thoracicis optandæ anacatharſis omnem ſpem viréſque frangat. Inculcant enim priſcorum ſæculorum obſeruatio, & vulgaris experientia in motus animi, & corporis aëriſque grauiſſimo æſtu naturæ genio parcendum eſſe: Artis etiam procerum monimentis decretum eſt pro ſyncope, etſi à plenitudine pendeat opem non tam à ſanguinis miſſione, quàm à frictionibus, ligaturis, & cardiacorum vſu petendam eſſe. Ad pulſus inæqualitatem conſuetudini imperitæ vulgus addictum phlebotomiam inconſultè acceſſit. Sed quid funeſtius quàm dum talis anomalia inſignis putredinis, aut confirmatæ imbecillitatis, aut denique naturæ criſim meditantis & motitantis fidum eſt τεκμήριον. In malignis affectibus ſiue intus ſuccreſcat, aut foras irruat venenum non ita effrænatè profundendus eſt vitę theſaurus: talis enim obicis defectu, omnibuſque veluti repagulis ſolutis inſoleſcens malignitas per partium ſinus ferociter debacchatur, naturámque inermem, & fractam aggrediens facillimè ſuperat. Quis in hydropico nectar illud viuificum quęret, aut fundet? ſi aqua ex paracenteſi ob nimię diſſipationis metum niſi repetitis vicibus ſit vacuanda. Ex inſigni putredine humores fuſi, & olei inſtar ſupernatantes, aut ex maxima cruditate vaſorum lateribus affixi apertâ venâ non effluunt. Natura in laſſitudine vlceroſa, eryſipelatę, variolis, morbillis, aliiſque quam plurimis cutis maculis fœdę colluuiei excretionem per venas capillares affectat & molitur, ita

ob

ob metum regreſſus phlebotomiæ repugnat. Febri hectica exſuccum, aut quemuis hæmorrhagia, vel alia vacuatione exhauſtum phlebotomiæ nouo torculari exprimendum nemo niſi vitæ humanæ infenſus hoſtis condemnabit. Flatus dum eſt ſoboles cruditatis, aut intemperiei hecticæ inteſtinorum (qualis tympanitem comitari ſolet) ſanguinis miſſionem vt mortem abhorret. Quis præterea aduerſus morbos, aut potiùs ſanitatem ita audax qui ventriculo ob copiam humoris laſciuientis, aut exhauſtum infirmo tam ſæuum deputabit remedium? ſi in febribus acutis dum adeſt maxima cruditas purgatio phlebotomiæ iure anteponatur. Hydrophobię veneno pituitę, & melancholię analogo, vt inſaniæ, & phrenitidi ab intemperie ſimplici, lethargo, caro, & alijs cataphoricis affectibus venæ ſectio vt plurimùm nocet. Anceps ergo eſt tale remedium, vt enim conſtantibus viribus, ętate, & tempeſtate conſentientibus in grauibus inflammationibus ſecurè iuuat, ita promiſcuè repetitá imperitorum phlebotomia iugulat: nam quamuis pleuritidi conueniat, non tamen in omnibus lateris doloribus febre etiam comitatis, nec in faſtidio ab exoluto ventriculo, nec in καταψύξει νενωθρευμένῃ ex Hippocrate, nec ex Galeno obſtructionibus confert. Grauidis in primis menſibus vt ob fructus pediculorum tenuitatem, ita in poſtremis ob τοῦ ἐγκυοφερομένου grauitatem, abortum minatur. An denique pueris mollitie diffluentibus, & ex rariori textura διαπολυτοῖς è matris gremio, mammarúmque adhæſu ferociter auulſis, omni quaſi dulcedine interdicendis, lac ab ore, ſanguis è venis, (ſæpius aliunde genitus) immaniter ſubſtrahi decet? quo miſero iſtorum eiulantium fato fieri dicendum eſt, vt ocelli qui huc vſque ad lucem conniuerant ad videndum carnificem per lachrymas aperiantur. Senum corpora annorum non minùs quàm cruditatis pondere grauata, & quæ humidi primigenij defectu fatiſcunt, fulcro vnico, ſanguine quo vix nituntur fraudare immanitatis eſt barbarę, & parricidium redolentis.

Ergo indiſcriminatim in omnibus morbis phlebotomiæ vſus veræ medendi methodo aduerſatur.

ASSERTIONES.

AQVÆ minerales ſalutares.
Plantarum ſemen animatum eſt.
Rudis ſine chymia medicus.
Sunt venæ lacteæ præter meſeraicas chylo deuehendo deſtinatæ.
Vnica pars princeps cor.
Lien ſeroſis humoribus expurgandus eſt.

PARADOXA.

IGNIS non calefacit, nec aqua refrigerat.
Imaginatio non ſignat fœtum.
Mores non ſequuntur temperamentum.
Criſis etiam primo die contingit.
Rhabarbarum bilem non attrahit, nec agaricus pituitam.
Rebus omnibus ſenſus ineſt.

PROBLEMATA.

AN ſale ſuo planta repullulare poſſit.
An morbis amuleta proſint.
An mulieribus ſint ſemen & teſtes.
An detur remedium hæmagogum.
An Scythæ ſine ſtapetibus equitantes eunuchi euadant.
An tertio die ſemen ſit animatum.